

HISTORIAE PISCIVM

LIBER V.

DE CETIS.

CAPVT I.

De Cetis in genere.

Galen. 3.
de Alim.
facult. c. 21.
et 37.

Aelian. H.
l. 1. c. 6.

Plin. H. N.
9. c. 7.

Arist. H. A.
9. c. 2. et 4.
partib.
13.

Cetorum nomine saepe tam apud Graecos * quam Latinos ingentis molis pisces intelliguntur; hic pro illis duntaxat sumimus, qui pulmones, arteriam, collum et alia membra cum terrenis quadrupedibus communia habent, quibus omne proprie dictorum piscium genus destituitur. Specialius aliquando, seu pro Pistrice, seu pro Balaeana sumi, apud Ciceronis Aratum, et Oppianum videbis. Integuntur *corio*, qui Macedonibus, dum e Mesambria Tocam navigarent, visus, corio squammoso, tam crasso ut cubitum aequaret, ostreisque patellis, et algis oppletus, pro monstroso habendus est. Lora ex eo fiunt, quibus maxima pondera per cochleas sublevantur, simili duritie et nervos esse, et chordas ex iis ad bellica instrumenta confici, prodidit Aelianus. *Pulmones* habent, quod plus caloris, quia ingentis molis animalia, ut possint moveri, requirunt. Branchiis * ideo carent, sed *fistulas* (ora vocat Plinius, nares Ovidius, Cardanus oscula) acceperunt. Ductus hic ab ima palati ad extimam partem duplex, septo distinctus, et nostrarum narium foraminibus ad palatum deductis, proportionem quodammodo respondens. Unicum in extima parte literae C. figura foramen apparet, quod carne pingui, tanquam operculo, tegitur. Respirationis gratia datas, vel exinde colligas, quod obturatis, citius moriantur, quod in Delphino Rondeletius observavit. Os ipsos subter habere, Aristoteles et Plinius reliquere, ut dum resupinantur, pisces quos captant, evadendi tempus habeant, in promptu habere, observavit Rondeletius. Resupinatos tamen cibum capere, tum ob dictam

causam, tum propter longam et multum infra descendentem oris scissuram. Carent quidam *Dentibus*, instructi quidam, serratis, planis, exertis, aliquando hominis similibus. Eboris instar candidos, ad opera firmos, anteriores latos, ne haereret cibus, posteriores acutos, ut promptius divideretur, apud Cardanum legimus. *Mammas* foeminae habent; detractos aliquando ex una in Aquitanico litore duo lactis cados, Rondeletius prodidit. Audire certum, et nulla manifesti instrumenti vestigia, ut putat Aristoteles, Rondeletius tamen in Delphini cranio, meatum qui ad cerebrum usque excurrit, invenit. Vehementer *pinguescunt*, quod piscium carne alantur, et moveantur tardissime, quod tardo motu digeri posset, densitate corii praeepeditur. *Internas partes* verbis Rondeletii describam. Sub peritoneo, inquit, partes quae ad nutritionem et generationem conformatae sunt, ad quadrupedum terrestrium magis quam ad piscium partes accedunt. Nam *Epiploon* habent, sed minus pingue, quo ventriculus et intestina incalescunt, et foveantur. *Ventriculum*, magnum, cum ad justam magnitudinem accreverint: in recens natis exiguum est, et geminus videtur. Ejus fundo *pancreas* haeret, desinit in *intestina*, quae in multos gyros convolvuntur, eadem fere ubique crassitudine, praeterquam in extremis, quae mediis paulo sunt latiora. *Mesenterium*, vertebrae annectitur, glandulas nigras, venas, arteriasque intertextas habens. *Renes* venae magnae trunco, arteriaeque magnae per emulgentes annectuntur, sunt inter epar et testes siti. *Urina* per *ureteras* in vesicam percolatur: quae terrestrium animalium vesicis

Cardan.
variet. c. 37.

Arist. H. A.
l. 4. c. 8.